

## **Exercitationem inauguralem de morbis senum / ... P.P. Paulus Hofmann.**

### **Contributors**

Hofmann, Paul, active 1689-1693.  
Berger, Johann Gottfried von, 1659-1736.  
Universität Wittenberg.

### **Publication/Creation**

Vitembergae : Typis Christiani Schrödteri, [1693]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dmxxq8ec>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



EXERCITATIONEM INAUGURALEM  
DE  
**MORBIS  
SENIUM,**

EX AUCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS,  
PRÆSIDE  
RECTORE MAGNIFICO,  
DN. JO. GOTHOF. BERGERO,  
D. ORDINIS MEDICI SENIORE, ET  
h. t. DECANO, AC PATHOLOGIAE  
PROFESS. PUBL.  
DN. PATRONO ET PRAECEPTORE SUO SANCTE  
COLENDO,

PRO LICENTIA  
ADSPIRANDI AD SUMMOS DOCTRINÆ  
IN ARTE SALUTARI HONORES,  
P. P.

PAULUS Hofmann / DRESDENSIS.

D. XXI. NOVEMBR. M. DC. XCIII.  
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM SOLITIS.

---

VITEMBERGÆ,  
Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



EXERCITATIONUM IN ARTE

MORALIUM

LIBER PRIMUS

IN HONOREM

RECTORIS

IN IO. GOTTFR. BERGERO

ORDINIS

DECANO

PRO

SPIRANDI AD

IN ARTE

LIBER

IN ARTE

IN ARTE





DE  
MORBIS  
SENUM

EXERCITATIO INAUGURALIS.

I.

**S**I quis animum ad consideran-  
das rerum vicissitudines instituat,  
autor ei svasorq; sim, ne ultimæ an-  
tiquitatis memoriam replicet, neq; ex  
summis terrarum imperiis, nationibus,  
gentibusq; casuum humanorum exem-  
pla conquirat, nec id quidem, quod ante  
oculos observatur, & ante pedes est, respiciat, sed in se cor-  
pusq; hoc intueatur; næ brevi se mutatum ab illo priori  
habitu senserit. Namq; hoc malum in hominum vitam  
hominum vitio invasit, ut perinde ac magna illa corpora,  
nunc crescamus, nunc vigeamus, nunc intereamus; nisi  
quod inter nos illaq; hoc quidem intersit, quod ea ex mul-  
tis conflantur, multorumq; viribus stant & continentur,  
quas, parentibus extinctis, filii & nepotes de integro suffi-  
ciunt, nos autem singuli sumus, &, quantum quisq; no-  
strum



strum quotidie amittit roboris, sibi amittit, cumq; oppressum reficere non possit, secum ipse deficit paulatim, tandemq; collabitur. Parvis enim & spretis initiis existimus, & in cunis vagimus infantes imbecilli, nec lacertos movere possumus; deinde (si ab ordine, in quem communis natura nos adduxit, non declinamus) pueri sine sensu aucti sumus, & ultra gliscimus; tum adolescentes succi & sanguinis pleni sumus, & corpore sensim ingravescimus; ætate autem confirmati quasi consistimus in fastigio virium, sed viridem crudamqve senectutem ubi attigimus, jam parto vivimus, nervisque temperantis adolescentiæ tantisper sustentamur, donec langvescamus, & confecti macieq; enecti ruamus. Neq; vero id secus esse potest, propterea quod ex dissimilibus rebus hæc compages corporis coaluit & composita est, quæ cum spiritus, intus agentis, vi semper se oppugnent & committantur, efficitur profecto, ut luctatione illa se ipsas paulatim fatigent & attrahant, & in quantum quæque vicerint, & compresso obtriatoqve adversario, rerum potitæ sint, in tantum illa tyrannis æquabilitatem temperationis pervertat, qua servata, ut alimur bene valemusqve ac vigemus unice, ita everfa, emaciamur, torpemus, senescimus ac debilitamur. Ut tum contenta quidem, quia homine illo indigna erat, vera tamen (& sat cito) vox sit Milonis Crotoniata; qui cum jam senex esset, athletasq; se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansq; dixisse: At hi quidem jam mortui sunt. Hanc ætatem cum pro eo, ac par est, multum venerer, officii meum duxi, in SENUM MORBOS, quibus vulgo tentari & teneri solent, paucis capitulatimq; commentari, ut ad summos Medicinæ honores gradum mihi ritè faciam.



## II.

Cum autem non unius generis sint ægrotationes senectutis, in præcipuas tantum hoc loco inquirere constitui, quas *Senex Divinus Sect. III. Apb. 31.* recensuit. Senes enim sæpius angunt & male habent spirandi difficultates, frequens cum tussi destillatio, vertigo, morbus attonitus, vigiliæ, alvi, & oculorum & narium humiditates. Accedunt non raro vitia renum, urinæq; difficultas ac stillicidium, ut & dolores articulorum, & universi corporis pruritus ac malus habitus. Interdum etiam auditus visusq; hebetudines, & glaucedines incidunt.

## III.

Atque ut statim a principio dissertationis ab initio horum affectuum exordiar, commemorandum est, quod constat inter omnes Medicos, vitæ nostræ incolumitatem a perenni sanguinis liquidiq; nervi agitatione, ac stato firmoque per poros corporis ita redituq; pendere; utriusq; vero fluidi temperiem & motum, contextumque solidarum partium, atque adeo totius habitum corporis, annorum decursu ac multitudine plurimum immutari. Qui enim ab ultima ætate dulcis est & lacteus, multoque glutine satur sanguis, in pueritia paulatim attenuari incipit, atque in pubertate & adolescentia portione vivifica & mobiliore fit prævalentior, quæ, auctis indies viribus, vix ad *anum* producta in viris, mox suo vigore iterum deficit. Neque id adeo mirum, cum confectæ sint & dilapsæ partes, a quibus spiritus sumuntur, aut, quod earum reliquum est, enervatum & exhaustum. Unde languidus & effoetus evadit sanguis, & tandem dissolutus adeo, ut nec motum alere perpetuo, nec calorem sufficere, nec vitam demum, elisis nervis, tueri possit.



Qua ratione non inſcite ſanguinem vino Medici comparare ſolent, quod in utroque liquore cum alia multa ſibi reſpondeant, tum cruditatis, maturitatis & defectionis tempora, notentur. Sic fere muſtum, ubi primum ex uvis coactum & expreſſum eſt, guſtatu dulce eſt & glutinoſum, atque imbecillum adhuc; ubi vero conditum, aſurgit & fervet; ubi efferbuit, clareſcit, & ſenſim a ſæcibus purgatum vim affert, atque in liquorem fortem generoſumque demum vertit. Ubi vero æſtu percoquitur, aut ventis patet, aliisque peſtibus expoſitum eſt, aut, quod caput eſt, nimis diu aſſervatur, exſolvitur, ac ſubinde coaceſcit, aut fugit. Idem, ſanguini pro gradu ætatum contingere videas, unaque corpus, & partes, quibus conſtat, pariter cum annis converti, & modo in anguſtius, modo in anguſtius ſpatium aut proferri, aut adduci, atque in eo itinera, nota occultaque, aut laxari, aut coarctari, quibus regitur illud & adminiſtratur.

## IV.

Hæ quippe cauſæ ſunt, quamobrem ætatum viciffitudines univerſæ corporis œconomix immutatio conſequatur. Nam quia in infantia ſanguis lacte turget, huiusque copia & glutine, ſpiritus, intus agentis, vis coercetur, & laxiores ſunt mollesque partium fibræ, hæ quidem facile nutritium ſuccum recipiunt & imbibunt, ab eodemque in majus ſpatium extenſæ, augmentum carnum inducunt. Quo fit, ut infantes & pueri blando calore perfundantur, plurimumque nutriantur & creſcant. Sed quia in juven-tute firmior fit & compactior conjunctio partium, ſanguinisque curſus magis incitatur, & ſubtiliores elæſticæ particulæ cerebri fibras majori copia & activitate ſubeunt,  
minui-



minuitur paulum augmentum corporis. Contra ea augetur vitale robur, & animi ingeniiqve vires incrementa capiunt. Ac cum progressu ætatis constipatur contextus corporis & jam rigescunt fibræ partium, sanguisque & succus nerveus tot repetitis circuitibus elaborati, gluten sensim amittunt, fieri porro solet, ut membrorum firmitate & robore & acie judicii, juvenibus viri tantisper præcellant & præstent ; dum dulci & vivida mobilioreqve parte imminutum sensim utrumque fluidum vitale, desciscat ab illa prompta agiliq; motione & fluxu, quo juvenus vigere solet, ac duratis magis compactisque partibus, poros corporis & meatus omnes subire rigareqve satis nequeat. Quo fit, ut & corporis & ingenii vires frangantur, & tandem repuerascant, qui paulo ante viri fortes ac sapientes fuerunt.

## V.

Hoc fundamento substructo, perfacile judicium est, quare tot affectibus morboris, & præsertim illis, quos ex *Hippocrate* recensuimus, circumfessa senectus sit. Cum enim ejus ætatis sanguis frigeat, spiritusqve repressi sint, ac villi solidarum partium exsucco rigeant, porosqve contrahant, & quæ intra hos vigere debebat fluidi vitalis vis oblangveat ; necesse est, elaterem & tonum motricium fibrarum, a quibus non minus cordis, quam musculi alii, movendi facultatem habent, debilitari, & derivationes humorum ac secretiones, excretionesqve retardari & impediri. Unde uber excrementorum proventus est, & tot obeundarum actionum læsiones in senio exoriuntur. Per quam quidem ætatem quænam proprie sit intelligenda, dubitari potest, siquidem eam laudatus Senex in tres alias distingvere consuevit, senectutem nimirum viridem sive cru-



crudam, mediam, & decrepitam. Verum tamen cum in has partes eam hoc loco non descripserit, fane videtur omnes voluisse complecti, nec magis numero annorum, quam virium imbecillitate profectam ætatem metiri; quævis ægrotationes, postremo loco in aphorismo collocatæ, ad exactam potius, quam ad crudam pertineant, cum non existant facile, nisi sensuum organa plane labefacta sint, viresq; fere obtorpuerint. Hanc eandem sententiam ita vertit *Celsus II. 1.* In senectute (inquit) spiritus & urinæ difficultas, gravedo, articulorum & renum dolores, nervorum resolutiones, malus corporis habitus, nocturnæ vigiliæ, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, præcipueq; soluta alvus, & quæ sequuntur hanc tormina, vel lævitas intestinorum, cæteraq; fusi ventris mala. Ubi senectutem voce quoq; generaliori usurpavit, & nec omnia, nec nulla vertit, & adjecit, & innovavit quædam.

## VI.

Sed ut propius ad rem accedamus, singuli affectus Senum suo quisq; loco considerandi sunt. Non autem mirandum est, SPIRITUS DIFFICULTATE, sive DYSPNOEA, senes subinde corripì, propterea quod tota corporis constitutio ejus ætatis ad efficiendum illud malum conspirare videtur. Cum enim respiratio perenni thoracis pulmonumq; motu peragatur, & apertas vias, quibus ire & redire spiritus possit, requirat, perspicuum est, a variis causis spirandi difficultatem in senibus existere. Ab impotentia thoracis id malum sæpe esse, quis non intelligat? cum nempe vel cartilagines costarum ad rigiditatem osseam, reliquis costis similem, induruerunt, vel musculorum intercostalium & diaphragmatis continuo motu attriti villi contractiles temporis



poris diuturnitate exhausti sunt, & spirituum illapsu minus recreantur. Neque eo secius asperæ bronchiorum arteriæ, horumq; expansionis vesicularis, quæ pulmonum compagem firmat, substantia, minus mollis & explicabilis, sed siccior pariter ac complicata, & humorum in illis ductibus æreis contractorum & concrecentium vis, obstructionumq; cunei, idem sæpenumero conflant, quæ quidem vitia huic ætati familiaria sunt.

## VII.

Quamobrem adjecti sunt in *Aphorismo* CATARRHI, seu DESTILLATIONES cum TUSSI, quæ infarctum pulmonum notant. Enimvero, ingravescente ætate, cuncta pene viscera imbecilliora fiunt, sanguis hebescit, & lenti viscosiq; succi plurimi cumulantur, præsertim in partibus sua natura capacioribus. Præterea senum corpora parum pervia sunt. Hinc cum plurima pars eorum, quæ sine sensu e corpore ejici sanitatis interest, resistat, viscera obsidet, & sanguinem lymphamq; omnem inficit, cujus institutione, & reditu intercluso, omnis generis catarrhi nascuntur. Ex quo intelligitur, quam illi audiendi non sint, qui catarrhos a solo capite diffundi contendunt, cum ex toto corpore, & vitio cujusvis partis, lacrymæ illæ peccantis lymphæ descendere queant. His autem incommodis imprimis pulmones afficiuntur, quia in membrana interiore laryngis, & tracheæ ac bronchiorum ejus, inter annulorum cartilagineorum interstitia magno numero collocatæ xiles glandulæ, totius fistulæ, quam dixi, internam superficiem miti blandaq; lymphæ perpetuo humectant, quæ si viscida fuerit, aut tenuior, & cum acrimonia temperata, ut leviter mota, præceps in illa cava incumbat, dum  
B paula-



paulatim collecta bronchia, horumque ramos & cuniculos opplet, atq; aditu exituq; aërem arcet, magna spirandi impedimenta objicit, & dum fibrillas nerveas, ac carneas, membranae interiori intertextas, mole sua vel acie irritat, titillationem molestant & tussim parit. Quod malum interdum mitius est, aliquando autem atrocius, & metum strangulationis affert, atq; in catarrhum, quem vocant, suffocativum evadit. Cum nempe ob impactum bronchiis serum, & convulsivos fibrarum pneumonicarum motus, ipsiusq; sanguinis viscidam cruditatem, circuitioni & itineri, quod per pulmones fert, fræna injiciuntur, ut sanguis, qui irreposito cordis pulsu ex dextro sinu in arteriam pulmonarem excutitur, per hujus & venæ sociæ capillaria angustissimaque vascula progredi ad sinistrum cordis thalamum nequeat. Tum enim cor ad incitas, ut ita dixerim, redactum, nixibus aliis super alios æquilibrium & proportionem inter vasa haurientia & transmissum liquorem compensare studet. Quo fit, ut in tumultum conjiciatur tota sanguinis massa, & ab aqua, a stagnante in pulmonum vasis sanguine intra bronchia secedente, aucta colluvies serosa, repetita, licet difficili, respiratione, ac aëris appulsum crebriore, spumescens, stertorem producat, & tandem plane impedito illo circulo sanguinis, oppressoq; cordis motu, suffocatio sequatur. Quo genere mortis animalia perire observamus, in quorum venas oleum sulphuris aut vitrioli, aliusque liquor acidus & coagulans infunditur. Nequa aliter servi manus sibi inferunt in Hispanorum coloniis, qui ut sævitiam dominorum morte effugiant, plenis buccis spiritum ducunt, & contra naturæ sanguinisque in pulmonibus impetum obnixi animam tantisper comprimunt, dum deficient; ut doctissimus *Pechlinus* autor est



## IIX.

Ita pulmonibus serofus latex labem suam affricare solet. Non melius autem renes & vesicam habere potest, cum harum partium ministerio a redundante liquore assidue segregetur. Nam renes ex glandulis, ab iisque pullulantibus tubulis, pelvi hujusq; expansioni continuatis, veluti radiis a peripheria ad centrum collineantibus, quod *Malpighii* & *Bellini* industriæ acceptum referre debemus, eum in usum compacti sunt, ut e massa sanguinis, per arterias advecta, serum in eoq; dissolutos sales per illos glandularum tubulorumq; meatus transmittant, & in prodeuntes inde ureteres ad vesicam porro traducant. Itaq; si sanguini acres acidæq; particulae innatent, eæque a lymphâ, cujus benigno fræno coercerentur, in renibus sejunctæ, vel poros horum obvalent, seroq; exitum præcludant, vel urinam acuant, non levem mictui molestiam & difficultatem afferent, cum plus minus vehementer vellicabunt sphincterem vesicæ musculum. Hic autem eo gravius afficitur & laceffitur, quo habitudo vesicæ ad contractionem ejectionemq; contentorum minus virium habet, idq; ob senilis ætatis imbecillitatē. Quibus ex causis omnino efficitur, ut, dum urina salibus corrosivis condita & mordax vesicam diutius trajicit, mucum vesicæ parietes oblinentem diluat, & nervosam ejus tunicam rodat, & ita magno deinde conatu, & cum vehementi ardenteq; dolore nostro, quem *DYSURIAM* vocant, reddatur. Sin autem acres particulae cum lentis viscosisq;, quarum larga & copiosa materia in senibus succrescit, permixtæ sint, & tenacius sphincteri vesicæ adhærescant, eundemq; lancinando ad crebriores spasmodicos motus invitent, tum quidem tenesmus vesicæ excitabitur, & magnum



& perpetuum mejendi desiderium urgebit; sed frustra, nec sine molesto sensu guttatim saltem urina stillabit, quod genus mali STRANGURIA & stillicidium urinæ nuncupatur.

## IX.

Ab iisdem initiis ARTHRITIS & NEPHRITIS, sive ARTICULORUM RENUMQUE DOLORES proficiscuntur; quippe cum hi affectus magna inter se affinitate devinciantur, & ex scorbutica sanguinis labe crescant. Nec fere inter hanc & senectutem morbosam quidquam interesse reperietur, quod in utroque statu serum corruptum & acetosam diathesin nactum, sanguisq; spirituosam elasticitate maximam partem exutus est. Hinc si vel renes, vel quæ articulos vinciunt & innectunt, ligamenta, & membranæ fibræq; nervæ, pungente lymphæ acrimonia configantur, ingentes dolores commoveantur necesse est, quod earum partium sensus tenerrimus est. Id quod renibus familiare malum est, utpote quibus serum aculeatum a sanguine secernei & relinqui, paulo ante monuimus. Cur autem præter hos in ultima corporis confinia, atq; articulos compellatur eadem materia, id quidem a vulgo naturæ, ad partes ignobiliores & remotas a corde rejicientis, quicquid pestiferum ac mortiferum inest in sanguine, prudentiæ & beneficio tribuitur. Rectius autem a vitio partium præliminari, sive illud hæreditate acceptum sit, seu aliunde contractum, hæc causa repetitur. Nimirum jam ante sive intempestiva & vehementiori defatigatione, sive venere, sive etiam frigore, & causis ejusdem generis aliis, debilitati articuli, quicquid eo appellitur, aut in vicinia oberrat feri scorbutici, facile recipiunt & retinent, vigore alias partis propulsandum. Eodem pertinet, quod lymphæ ad articulos advecta, rigidis ejus-

modi



modi spiculis aspera, facile subsistit, quoniam includitur multiplici vasorum complexu, qui affluentis humoris æstum haurit & remoratur. Ut autem tam exquisitorum dolorum clarior existat causa, ea videtur esse fervor quidam succi acidi scorbutici, intra articulorum tendines, fibrasq; nerveas & periostrium congesti, cum rore articulari, aut glutine, unde ossa tendinesq; rigantur & obducuntur. Hæc enim lymphæ quia plurimum salis acris, plus minus volatilis habet, acido acriori facile committitur & hinc turgescit, ex qua luctatione atq; tumultu, quem bullæ flatusque sequuntur, quodcunq; ibi nerveum est ac sensibile (est autem plurimum) a rigidorum ramentorum impetu cæsim punctimq; facto mirifice distenditur, corroditur, & quasi discerpitur. Unde subinde inflammatio *έρυσιπελατώδης*, non raro etiam tumor œdematosus, tensioq; & gravissimi cruciatus oriuntur, donec, compresso furore, rebusq; compositis, placatus succus ad sanguinem reducatur, aut subter cutem propulsus, lente expiret.

## X.

Simile in renibus suppressum serum, scorbutico sale tinctum, graves pariter & acerrimos dolores sæpe parit, quousq; illud exitum habeat & decedat. Nec vero ita semper partium istarum salus expeditur, quin, procedente tempore, labefacto & lacerato ipsarum tono, secretio illa expulsioque impediatur, ut aquosa saltem liquidaq; detrahantur, relictis solidis, salinis nempe terrestribusq; particulis, quæ ubi istis in angustiis insederunt & agmen fecerunt, in artubus in tophos, in renibus & vesicæ & partibus præterea aliis in calculos concresecunt. Quo loco non prætereundum puto, quod Magnus Præses, præsentē Generosissimo Dn. D.



*Franco de Frankenau*, Patrono & Præceptore meo sancte colendo, in corpore exanimi incomparabilis J<sup>C</sup>ti, B. *Ziegleri*, annum nonum & sexagesimum agentis, cum acquiesceret, calculos in vesica quidem urinaria tres & viginti, albi quemque coloris, duros adeo, ut quamvis humi affligantur, frangi non possint, & nucis juglandis fere magnitudinem exæqvantes; in vesica vero fellis duos & viginti, paulo minores, eosque coloris fellei, omnes triquetra figura, raro illustrique exemplo, & magna admiratione reperit, ut mirari satis non potuerit, virum hunc tantam molem gravissimosque cruciatus æqvissimo animo, inter labores maximos, perferre potuisse. Quinimo observatum est, non solum lympham, quæ per vasa sua, glandulasque corporis, tam globosas, quam conglomeratas transportatur, in tartareum gypseumque magma desisse, neque urinam tantum, salivamque, postquam resedere, duram calcariamque crustam scrutanti ostendisse; sed etiam sanguinem tandem universum in venis in calcem tophosque tacite concrevisse, de qua re laudatus a nobis *Pechlinus* meretur consuli, obs. 271.

## XI.

In promptu etiam causa est VERTIGINIS Senum. Cum enim sanguis vapidus quodammodo & fixus sit, ac mobiliore parte privatus, levés volatilesque reddere amplius humores satis non possit, spiritus quoque pauciores, & minus alacres ac fortes in cerebro excludi, nervosque incidi quodammodo ac remitti necesse est. Id si ita est, facile distraherentur & concutientur fibræ cerebri, & cum eas spiritus recta peragraré non possint, in gyrum cogentur, more aquæ & liquidorum, quæ compressa sunt; atque adeo circumagi oculis objecta videbuntur. Is autem fibrarum tremor, & hæc spirituum conversio,



sio, tum rosione nervorum ventriculi jejuni, causisq; aliis, tum etiam a sanguinis accessu ad cerebrū toties excitabitur, quoties hic impetu aut infarctu suo arterias extrorsum nimis urgendo cerebrum aliquo modo premet, aut peregrinas & minus convenientes particulas per poros glandularum ejus in medullam inuehet. Et, si a materiæ illapsu vertigo oriatur, serpet illa non per unam arteriam solum, sed per plures, atque adeo per arteriolas, quæ ad aurem internam patent. Eæque membranas & ossicula ferient & commovebunt, & in tremorem aliquem agent, qui alium atque alium sonum edet, pro ratione vique impulsionum & pressionum. Unde in aliquibus aliquando tinniet, sibilabit aliis, vel pluviam decidentem imitabitur, imo etiam hæc omnia in uno eodemque contingere poterunt.

## XII.

Vertigini autem APOPLEXIA succedet, si infarcientes arterias humores serosi, frigidi, & plus minusve tenaces, sint majoris ac tantæ molis, ut omnes arterias cerebri impleant ac corticem ejus & medullam obruant, nervosque obstruant, vel comprimant. Sic enim undæ nervorum, quibus sentimus, & naturalis fluxio liquidi per nervos in musculos impediuntur; quibus destitutis vi continendi ossa in apta collocatione ad articulationes, & se ipsos vindicandi a vi gravitatis propriæ, deorsum nitentis, necesse est, totam corporis molem subito collabi, & sensu motuque privari, superstitie tamen & plus minus salvo motu, quo cordis & pectoris muscoli reguntur, si quidem undæ nervorum his partibus allabentes non omnino suppressæ fuerint.

## XIII.

Sed in ceteris affectibus CACHEXIA fere propria est  
sene-



senectutis, ut *Aretæus* voluit. Per eam malum habitum intelligimus, in quo corpus laxum, grave segneque est, & vividi coloris gratia caret, virore quodam albicans, vel flauens, & tandem adeo invalidum fit, ut crura etiam interdum incedendo vacillent. Hic vero fructus est cacoehymia sanguinis, quam familiarem senibus esse, non semel monuimus. Etenim, si massa sanguinis ita in illis vitata sit, ut motus ejus expansioque vitalis, jam tum debilior, viscosarum partium impedimentis obtundatur, paulatim partes omnes corporis, non tam volatili & vivaci, quam tardo & pituitoso ejusmodi succo irrigatae, flaccescent, villicque musculorum & sinuli, in quos derivari debent fluida, motum & vigorem dantia, comprimuntur, spiritusque pauciores, & dejecti, undisque concitandis minus accommodati, in nervis existent; unde agilitas motus restringatur, & vires exhauriantur, titubentque huc illuc progrediendo membra necesse est. Et, cum parum ducatur ad partes, quod sit naturali simile, & alendo aptum, sed quicquid ad partes ducitur, viscosis lentisque particulis sit permixtum: male omnino aletur corpus, & vividus color in lividum, aut flavescentem, aut plumbeum mutabitur, prout ad partes delata lymphæ plurimis, iisque varie depravatis particulis constabit. Enimvero, quia in senibus cacoehymia illa scorbutico sali plerumque permixta est, & serum sanguinis per ultimam ætatem sua sponte acorem contrahit, & muriatica pariter atque austera salsedine inficitur; accidit sæpiissime, ut senes acido salsis ichoribus abundant, qui detentis fuliginibus ex mala transpiratione commisti, longe peiores, molestioresque fiunt. Unde postmodum PRURITUS, pustulae, & non raro etiam ulcuscula illis accidunt, quæ per universam sæpe cutem serpunt.



## XIV.

Præterea permolestum senibus PERVIGILIUM est. Cujus causam in sicciore cerebri constitutione, defectuq; roris lymphatici, quærimus. Quod enim cerebrum, nervosque rigat liquidum, ex partibus duabus componi videtur, humidior altera & crassior, altera vero sicciore & subtiliore. Ac humidior, quod ea subactior lymphæ portio est, & mitissimi instar roris per universam illius substantiam nervosque omnes dimanat, succum nutritium cum schola Anglicana appellare nulli veremur, propterea, quod alendis partibus corporis eam impendi multa nobis persuadent. Sicciorem vero & tenuiorem lymphatici ejusdem roris partem spiritum animale esse dicimus; quem ex purioribus aeris particulis, pulmonum ministerio in sanguinem receptis, & volatilibus & mobilioribus alimentorum partibus, antegresso sanguinis motu elaboratis, secretionem quadam in cerebro a mole sanguinis reliqua confici, jam fere constans medicorum est consensus. Atque hæc duum generum partes, ex quibus nervorum fluidum conflare diximus, quamdiu bene inter se temperabuntur, tamdiu spirituum elaterium vigeat, partesque recte nutriantur, & somni vigiliarumque ratæ vicissitudines erunt. Sin alteræ prævalebunt, aut somnus membra opprimit, aut insomnes noctes ducemus. Igitur, quia senes deficit vis humidi nutritibilis, qua mora producat elaterium spirituum, laxenturque fibræ cerebri, & sopiamur; serum contra salibus lancinantibus est aculeatum: hoc effracto repagulo, spiritus, quanquam immixti, effrænati tamen per cerebrum nervosque nituntur, & motu suo indomito tendendo nimium fibras cerebri, senes quietem capere non sinunt.



## XV.

Etsi vero ros nutritius senes deficit, tamen ALVI, ET OCULORUM, NARIUMQUE HUMIDITATUM iis nonnunquam affatim est. Nam, quia serosi humores per eas partes naturaliter secernuntur, eorumque plurimos, tenues & crassos, lentos & acres, sanguis trahit; necesse est, plus humorum in colatoria isthæc recedere & desidere, horumque tonum in tanta spirituum & caloris inopia ita tandem laxari, ut impetum humorum sistere vix possint. Atque adeo glandulæ vasaque lacrymalia adrepentem serosum & acrem succum statim ad oculos traducent, eosque plus justo suffundent, aut epiphoram etiam, sive stillicidium perenne parient. Hinc glandulosa illa & spongiosa membrana, quæ faucium, ut & narium, tum meatuum quoque interiora, quæ a naribus ad fauces porriguntur, obducit, & pituitaria dicitur; quoniam aquosas & crassas viscidasque adscendentis ad cerebrum sanguinis partes ex variis arteriarum propaginibus resorbet & haurit, plus humorum gignet, quos, quia per nares & fauces sæpe defluunt, a cerebro expulsos & profligatos e calvaria egredi, veteres medicinae autores crediderunt. Pari modo glandulæ ductusque salivales sputa multiplicabunt, & labia salivosa reddent. Et, cum sanguis sarcinam suam propter crassitiem particularum motusque coercionem per glandulas cutis aliave spiramenta evacuare recte nequeat, quandam feri partem etiam in glandulis intestinorum deponit, in cavaque eorum exonerat, unde humida lubricaque alvus fit. Quæ in diarrhoeas abit, imminentis sæpe exitii nuncias, quando, soluto conjunctionis vinculo, serum nimis fusum a salibus, secessio-



secessionem a sanguine facit, per eademque cribra largiori rivo dimanat. Interdum tamen hæc alvi lubrica a seroso humore pendent, qui e potu cibusque ea derivat, & propter impeditam chyli extractionem & secretionem universus fere per intestina decurrit, & cum fecibus commixtus exit. Contra ea pigrior etiam segniorque alvus erit, si sicciora intestina sint, & humores illi lymphatici minori vi, aut terreis, austeris & stypticis particulis foeti stillent, bilisque oleoso & volatili sale minus vigeat. Pro eorum enim succorum affectione varia, & permutatione, secretiones etiam chyli egestionisque excrementorum ex intestinis variant, ut vel obdurentur, vel contra augeantur & humescant scybala.

## XVI.

Sequitur, ut vitia quædam sensuum videamus, quæ propectæ senectutis fere propria esse, experientia testatur, cum raro admodum inveniantur, qui per eam ætatem sensuum omnium integritate utantur. Primum autem VISUS HEBETUDO, sive caligo a Sene nostro in medium adducitur, quod frequentissimum omnino malum est. Id vero a solo langvore, aut vitio spirituum, ut nonnullis persuasum est, haud proficiscitur, sed potius tactæ & violatæ conformationi oculi, quem ex tribus limpidissimis humoribus, totidemque tunicis affabre contextum esse novimus,tribuendum est. Hæ quippe partes figura, situ, consistentia ac puritate pro ætatum gradu plurimum differre solent. Cum autem non una sit hebetudo visus, ea tamen in primis senectutis est, quæ in promptu posita & oculis subjecta minus commode, quam remota & intervallis disjuncta, cernuntur, ut propterea seorsum senum visio a *Sylvio Prax. 11. 7.*



aliisque usurpetur. Quod genus obtusi visus procul dubio humores efficiunt, cum refractione radiorum, illos tres humores transeuntium, visionis munus potissimum regatur; quod tanto melius administratur, quanto hi integriores & magis illustres sunt, justamque vim & figuram habent. Et quia humor aqueus maxime pupillæ motui vires addit, & radiorum temperationi accommodatus est, ex hujus defectione & imminutione in senibus (quod etiam calidis & ingenio præfervidis accidere solet) visionis munus non rite procuratur. Una enim necessaria refractione eo modo deficit, quam conspiciendorum usus solet præstare. At si hic humor forte casuque reparatur, (ut in catarrhis aliquando usu venit) hinc, imminutis hisce humorum defluviis, senes illi pristinum interdum visum recipiunt. Quo loco notari refert, quod de quodam septuagenario *Gvilielmus Briggs, ophtalmogr. c. 4.* scriptum reliquit. Is enim cum per decennium fere conspicienda adhibuisset, tandem (dum hyeme librum avide pervolutavit, & frigus suscepit) tanta humorum defluxione correptus est, ut objecta ad distantiam trium pedum dignoscere nequiret. Huic itaque malo vesicatorii & collyrii applicatione, atque aliis medicamentis intrinsecus adhibitis occurrens, defluxionis materiam detraxit, & densa humorum nubila aliquantum discussit, adeo, ut deinceps sex annos, & quod excedit, conspiciendis sepositis, perexiguas & minutissimas notas ac verborum interpunctiones in libris evolutis distingvere potuerit. Cujus rei causa haud dubie aucto & perpurgato humori aqueo assignanda est. In eodem humore aliquando suffusiones fiunt & cataractæ, quando a crassis & viscidis humoribus, hic loci aggestis, spissescit, istique tandem instar membranulæ concrescunt. Sæpe autem illa senum visio



visio crystallini humoris culpa fit, quando depressus nimis & imminutus, radios satis non refringit, aut a processibus ciliaribus siccescentibus seseque complicantibus tensus, ad retinam propius accedit, atque adeo aptior ad remotiora, ineptior autem ad propinquiora percipienda redditur; quod vitium Presbytia nuncupatur. Vitio huic contrario myopes seu luscitiosi laborant, quoniam prædictus humor crystallinus nimis globosus & extuberantior est, & forte (qua consistentiam) densior paulo; unde non facile de- cedit, fitque adeo, ut quæ ejusmodi figura crystallini præditi sint, senes conspieillis haud indigeant. Sin eousque oculis capti sint, ut nec eminus, nec cominus videre recte queant: tum in membrana cornea culpa hærebit, quod suam perspicuitatem non habet, & crassior, siccior, rugosior evasit; aut ab humoribus oculi, alienis impurisque particulis inquinatis, nec satis bene lumen frangentibus & transmittentibus pendebit; aut ipsius etiam retinæ, quæ motus radio- rum recipere, & cum cerebro communicare debet, expansio fibrosa vel laxior, vel siccior & rigida nimis, aut alio modo affecta, erit.

## XVII.

Ut autem GLAUCOMATIS, quod occidentis fere senectutis vitium est, originem ultimam & stirpem pro eo, ac par est, indagemus, non possumus illorum sequi & amplecti sententiam, qui illud cum *Paulo Aegineta* mutationem esse volunt naturalium humorum oculi, & crystallini præsertim, humiditate in cæsum colorem transmutati. Quin potius cum *Galeno l. 10. de usu part.* ipsaque magistrarum experientia fatendum est, glaucoma omne ab humoris, quem diximus, crystallini siccitate & concretionem im-



modica enasci; quando scilicet inquinatur crySTALLINI globulus, simulque exarescit, & liquidus, succidus, atque pellucens esse definit, ac solidus, terrenus siccusque fit, & tenebras trahit, quod vel gypsea, vel calcaria, vel tartarea face polluitur, absorbetur & inumbratur. Ut enim thophaea & nodosa in calculosis, arthriticisque concretio nihil, nisi aridum, turbidum umbrosamque exhibet; sic omnino crySTALLINUS humor, ubi particulis tartareis turbatus, desidit in fundum, tam firmiter cogitur ac solidescit, ut arenati, vel gypsi, vel calcis, vel albi denique tartari frustum siccitate, duritie, asperitate & opacitate referat. Talem tartareum humorem crySTALLINUM ex vivi oculo erutum *CL. Drelincurtius* secum domi asservat, qui etiam expertus est, hunc humorem non modo siccescentem impensius in massulam, seu potius orbiculum utrinque declivem & depressum, interdum conglutinari, sed etiam, perinde ac sitiens solum, nonnunquam dehiscere & rimas agere, & pineorum Americanorum more trifariam findi, quorum cortex apricatione nimia triquetro hiatu discedit. Idem laudatus Vir in quatuor partes divisum humorem illum vidit, eumque crucis aut stellulae imaginem reddentem. Sive autem in tartaream lenticulam coaluerit, sive tripartito aut quadripartito interscindatur, perpetuo tamen oculorum aciem praestringit. Neque enim corpus usque adeo compositum & tenebrosum, intraque luminum orbis prognatum, & oculorum fenestellis e regione oppositum, luminis radios intercipere non potest.

## XIIX.

Demum vero cum sensus omnes in senibus hebescant, tum potissimum AUDITUS fit difficilis & gravior. Cujus quidem rei aliae atque aliae causae esse possunt. Cum enim frigidum &



di & pituitosi senes sint, facile iis contingere potest, ut & sordes aurium, quas cerumen vocant, conspissentur, aut plane gypseam & lapideam duritiem induant, atque adeo meatum auditorium obruant & opprimant. Perinde ac de conjugē sua CL. *Bartolinus Act. Hafn. vol. 1. obs. 45.* refert, eam post dolores aurium diu multumque perpeffos, lapillos per illum meatum egesfisse, liberatamque dolore fuiffe. Est & aliud obstructionis in meatu genus, senibus catarrhosis non infreqvens, quod tum fit, cum omnes glandulæ, quæ illum circumdant, intumescunt, & serum redundans imbibunt; eadem prorsus ratione, quæ spongiosas narium membranas adeo interdum intumescere observamus, ut aëri transitum præcludant. Hanc obstructionem tympani membranæ relaxatio fere semper comitatur; atque hoc pacto surditatem, aut saltem gravem auditum inducit, quæ superabundante serofitate evacuata, ut in catarrhorum sanatione usu venit, dissipatur. Plerumque tamen causa difficultatis auditus in senibus est tympani membranæ induratio & nimia ejusdem resiccatio. Constat enim pluribus observationibus, membranas corporis, ipsamque duram cerebri matrem, & plurium arteriarum tunicas osseas progressu temporis evadere. Unde tympani membranam duram interdum in senibus & cartilagineam tandem fieri posse, surditatemque incurabilem afferre, facile sibi quisque persuadeat.

## XIX.

Hactenus de præcipuis senum affectibus, quorum numerum ex *Hippocrate* inire voluimus. Sed nunc alios præterea videre & pertractare possemus, si instituti nostri referret, quod eo saltem pertinuit (quod a principio dissertationis



tionis monuimus) ut non omnes senuum morbos ordine prosequeremur, sed aliquos, eosque potiores. His ad li- quidum perductis & exploratis, remedia proponemus, sed ita, ut, quam possumus brevissime, rem omnem comple- ctamur, quia in singulis morbis diu insistendi spatium no- bis non datur, & autores docti clarique in manibus omni- um sunt, qui huc medendi præcepta perstudiose tradunt. Senilibus autem ejusmodi ægrotationibus aptis remediis, non multis, sed efficacibus mature subveniendum est, & in genere annitendum, ut non minus vitalis ille sanguinis & spirituum circulus, quam naturalis partium solidarum hu- miditas & tonus, quantum in viribus artis positum est, in- stauretur, atque adeo omnes corporis secretiones excretio- nesq; ordinem suum servant & tueantur. Ad quod effi- ciendum nihil quidem conferent panacæ ac medicinæ uni- versales, ignotæ quippe hominibus, & ad inducendum mun- dum, emungendasque argento crumenas confictæ; sed usi- tata medicis remedia, eaque modo diaphoretica, modo diu- retica, aliquando laxantia, antiscorbutica, excitantia, robo- rantia, humectantia, & si quæ alia occurrunt, pro affectus ægrique natura & indole, adhibenda erunt,

## XX.

Primum autem quod ad SPIRITUS DIFFICULTA- TEM attinet, illa, in quam impotentia thoracis incidi- mus, insanabilis censenda est, nec nisi iis, quæ liquorem ner- veum reficiunt (de quibus infra dicendum erit) relevari ali- quo modo potest. Asthma vero pneumonicum difficulter pariter curationem admittet. Nam artis modum excedit, ut rugosior & siccior pulmonū substantia, mollis & explicabilis reddatur. Nec visceri humores bronchiis impacti adeo facile excutientur, cum medicamenta quævis eo non penetrent,  
vel



vel minus feliciter efficientiam suam edant, de quibus tamen tot tantaque medici prædicant. Satis enim notum est fixiora maximam vim suam in primis viis, spirituosam autem, & volatilia, & alia facile solubilia, in massa humoralis exercere. Quare ejusmodi coagulum ubi semel sedem fixit, raro revellitur & disjicitur, reditque facile, unde profligatum est, & restituitur, quia per repetitam aliquoties transudationem viæ munitæ & apertæ sunt, sicut facili negotio, quotiescunque serosi humores redundant, aut sanguis non expedito alveo per pulmones decurrit, aut ab aere & causis aliis illis partibus vis infertur, iterum in bronchia, vesiculasque pulmonares, similia purgamenta redigantur. Huc ergo seligenda & servanda, quæ particulis incisivis prædita sunt, & humores attenuandi vim habent. Inter innumera hæc talia laudamus crocum, rorem marin. hysop. chærefol. herb. bellid. fl. r. rad. ari, ir. florent. aq. veron. hysop. asthmat. Rud. syr. de erysim. Lob. de squill. de peto, oximel squill. & asthmat. poter. benz. gum. amm. ejusque spirit. simpl. & cum spir. salis amm. destillat. vel etiam cum ♀. & virid. æris compos. ♀. purum, & ejus fl. tinctum & balsam. fl. salis amm. cum antichect. Poter. salia vol. simpl. & aromatica, liquor. C. C. succinat. Elix. propr. vol. millepedes, arcan. dupl. vel potius triplicat. cum cinnab. nat. electiss. vel antimonii & sperm. ceti. In asthmate convulsivo ab acrimonia irritante, quæ temperandi discutiendique vi pollent, prudenter maritanda sunt. Cui scopo cinnabaris, sperma ceti, succinum, lap. 69, extract. croci, Pilulæ de styrace, castoreat. & salia vol. sufficient. Cum opiatis, si unquam, in senum sane morbis, caute mercandum est. Ubi tamen vires permittent, & crebriores adsunt irritationes, mitiora, eaque in dosi refracta, cum spirituosis & solventibus adhiberi possunt. Quo casu non infelix successus sperandus erit a laudano hysterico, ut & ab extr. opii cum sapone alcalico & extr. helleb. nigr. juxta Anglos, vel theriaca cœlest. cum cinnab. & salibus vol. aut quoque a tinctura theriacali & opii camphorata. Laudani *Helmontii* cum sp. sanguinis hum. felicissimum usum extollit *Boyle, de util. phil. exper. p. 2. s. 1.* Quod si autem catarrhi cito in ea quantitate congesti paroxysmos graviores excitent, & catarrhus, quem suffocativum diximus, imminet, secta, si facta humoribus vasa sint, viresque ferant, vena, omne



auxilium a sudoriferis & spirituosus expectandum est. Ex horum censu numeroque sunt: antimon. diaphoret. non penitus edulcat. cinnab. nat. liquor C. C. succinat. mistura simpl. genuina, spir. salis amm. pulv. mandib. luc. pisc. dent. eq. mar. & apri. Ex quibus alia atque inter se misceri & cum arcano dupl. vel nitr. antimon. sperm. cet. lap. 69, in aquis supra relatis pro renata jungi poterunt. Et si denique materia serosa viscidaque ex intestinis, & per eorum glandulas ex ipsa sanguinis massa expurganda est, blandioribus & lenientibus, res geratur, aut injectione clysmatis alvus proritetur.

## XXI.

Inter reliquos affectus mature inprimis subveniendum est **APOPLEXIÆ**, quia peracutus morbus est, & intra paucos dies, ne dicam horas, vitæ finem affert. Hic, nisi vasa humoribus plena sint & tumeant, cerebrumque premant, nihil proderit V. sectio. Salibus autem vol. simplicibus, aromaticis, castoreatis, succinatis & camphoratis, ad excitandos spiritus, & restaurandum humorum circulum, vix salubrius erit & validius remedium. Sunt enim ista salia maxime mobilium & tenuissimarum partium, quæ corpore receptæ, in universam sanguinis massam & ipsius cerebri penetralia eluctantur, & hærentes ibi humores ad motum instigant & impellunt. His tamen cinnabarina & sudorifera antimon. aromatica, saliaque fixa interdum addimus, cum aquis spirituosis adhibenda, ut tota sanguinis massa in motum cieatur, obstructionsque cerebri tollantur. Quin & odor salium mire fibras nerveas concutit & spiritus erigit. Quare etiam naribus admoveantur salia vol. aut vapor solummodo immitatur salinus & penetrans, ex commistione salis amm. & salis tartari, aqua simplici solutorum, concussoque vitro excitatus. Lingvæ extremitas & fauces fricentur balsamo rutæ, aut alio forti apoplectico. Eadem & temporibus illinantur, & ad radicem narium. Quin & vomitoriis interdum, clysteribus fortioribus, sternutatoriis & id genus aliis uti licet, quæ serosum humorem e cerebro exprimere, ac prognatum ex ea colluvie torporem auferre valent. Inter alia minam sane vim habent vesicantia, pone aures, brachiis & femoribus applicata. Candens sartago, vel ignita lamina tantopere capiti admota, ut patientis capilli comburi videantur, efficax præsidium a quibusdam



busdam habetur Confert cucurbitulam magnam ignitam commissura coronali affigere, Quin & prædicta auxilia contemnente paroxysmo, ad capitis inflammationem veniendū; ea v.g. fit candenti ferramento variis capitis partibus adhibito. Rationi tamen & iudicio semper locus sit. Nihil enim hic spernendum, nihilq; inconsulto faciendum. VERTIGINEM ex ventriculo jejuno zingiberis in India conditi frustulū, vel bucella panis vino intincta, ac potus succolada tollit. Ceterum autem in hoc affectu salibus vol. castoreat. succinat. & cinnabarinis, quæ supra laudavimus, nihil fortius & præstantius erit.

## XXII.

Ad tollendam senum AGRYPNIAM, quod permolestum esse malum significavimus, in illo nutritibilis lymphæ defectu & siccioris cerebri constitutione, non temere ad opiata confugiendum est, quia diuturnis pervigiis vexatos ex opiatorum usu mente captos fuisse constat. Quin & pueri, quibus pulmenta ex sem. papav. somni conciliandi gratia dantur, stupidi plerique evadunt. Mihi sulphure non ita viroso & viscido, sed gratiori & subtiliore prædita arrident. Inprimis autem ambra, quæ suavibus & tenuibus effluviis fibras cerebri mulcendo, & spiritus blande refrænando, unaque refocillando, novum ipsis vigorem & gratam requiem conciliabit. Ejus igitur essentiam, & spec. diambr. ut & spec. diamosch. confect. alkerm. compl. cum vino malvat. muscatell. & humectantibus aliis, præcipue vero emulsionibus, hic magni fecerim. Quæ quidem temperantibus quibusdam, v. g. spec. de hyacinth. diamargarit. pulv. March. cinnab. Gñii, & Gñii fixo, misceri interdum refert. Gelatinæ C. C. & eboris non sine causa a quibusdam commendantur. Suntque, qui laudanum sine opio & tincturam somniferam ex myrrh. aloe, croco, mac. mosch. & ambr. cum spir. vin. extract. conficiunt mireque prædicant.

## XXIII.

Nunc ad CACHEXIAM scorbuticam digredior, fontem illum plurimum morborum, cujus curatio in viscerum acidique humoris correctione consistit. Hic ergo, ut in pauca rem conferam, præparatis, ut decet, primis viis, medicamenta ex tartaro, nitro, chalybe, antimonio, cinnabari, salibus fixis & volatilibus, cum decoct. rad. chin. falsæparill. lign. sassafr. & lentisc. & amaris quibusdam ac aromaticis, sale acri vol. instructis, si speranda a remediis salus est, utramque paginam faciunt. Ex his decoct. lignor. antimoniat. cinnabar. chalybeata, sale acri vol. prædita, saliaq; ipsa volatilia sibi eligant, qui dolore articulorum laborant. Quiq; NEPHRITIDE affliguntur, si mulcendi dolores, spasmique & crispaturæ ureterum sistendi, cinnabar. cum lap. canc. & spermate ceti, oleoq; amygdalar. d. & si expellit tartareas concretio-



nes interfit, sal vol. succin. & tartarea remedia sibi commendata habeat. Quod de spir. nitri *Sylvius* scribit, eum in juscule exhibitum calculum solvere, experientiae non respondet; multo autem minus id a sp. salis, ut sibi multi persuadent, expectandum erit. Pari modo aromatica, amara praesertim e cortic. aurant. & vel sola cinnabaris vel cum antimon. diaph. lap. cancr. & absorbentibus aliis, non minus DYSURIAM, quam STRANGURIAM levabunt. A decocto fol. bismalvae levamen insigne in septuagenario stranguria laborante observavit *Ant. de Heide obs. 29.* Eidem medicamento in dysuria locus erit. Nec spernendum est anodynum illud & abstersivum, serum nempe lactis, in quo decocti fl. chamomill. Potum vini Hispan. malvat. & muscatell. experientia toto die commendat. Sic porro NARIUM ET OCULORUM HUMIDITATES, purgatis primis viis, si opus sit, cinnabarin. antimoniat. succinat. & sal acre vol. trahentibus aromatic. tolluntur. ALVUS autem HUMIDA optimo victu, & amaris ac roborantibus chalybeatis corrigitur. HEBETUDINI VISUS a corrugatione tunicae corneae, humorisque crystallini subsidentia pendens, aqueis & mollientibus subveniendum, quamquam vix sperare auxilium liceat. Quae vero caligo ab humoris aquei foribus oritur, supra laudatis anticatarrhalibus, non neglectis fonticulis & vesicantibus, exteriusque admotis sale acri tenui pollentibus, v.g. spir. vini cum cephalicis infuso, spir. euphras. & quae omnibus praefenda, pingved. viperarum, curabitur, aut nullam medelam admittet. Depositio cataractae in ea aetate caute instituenda, & si detracta sit illa membranula, pristinum tamen locum in illa humorum impuritate facile repetit. Insanabile autem & fortius omni remedio est GLAUCOMA. DIFFICULTAS AUDITUS a cerumine copioso, vel constipato, profecta, hujus remotionem poscit; a catarrhis autem meatus auditorii ortum trahens, laudatis anticatarrhalibus cedit. A crassitie vero tympani existens, ea desperata habenda est.

## XXIV.

Postremo nec illud praetereundum, quod primo loco monendum erat, Diata senes saluberrime vivere & multum se sustentare. Coelum igitur, sub quo spiritum ducunt, mite sit, & incorruptum & calore temperatum, ut sanguinis motus alatur, & corpus pervium ac penetrabile sit, & expirationi incommodorum pateat. Sumant autem cibum, qui confici facile, & in succum sanguinemque converti possit. Et potum adhibeant humores ac spiritus reficientem. Ac si ulli aetati temperantia cibi & potus adjumentum afferet, senectuti certe, excrementorum feraci, succurret. Corporis denique exercitatio adsit modica, qua purgamenta a corpore ejiciuntur, nec minus solidi,



**E**Xpetit innumeros Juvenum vis fortior an-  
nos,  
Tempora canorum vult diuturna Se-  
num:

Ast non sola venit, sed morbis cincta senectus  
Pluribus, & Letho proxima, plena malis.  
Frons rugosa, genæ pendentes, pro cute pellis  
Deformis, refugit, qui fuit ante color  
Purpureus, fractos baculus nunc sustinet artus;  
Claudicat ingenium, mensqve manusqve tre-  
mit.

Omnia deficiunt, os pallet, tempora cana,  
Atqve refert pueris tempora prisca senex.  
Hos Tu describis morbos, HOFFMANNE, seni-  
les,

Atqve levare doces, *Paonis alma proles.*  
Oppugnas mortem, quâ quid crudelius orbis  
Quid magis à senibus quod metuatur habet?  
Dignus es ut frontem cingat Meditrina corona  
Et novus ob meritum TE tueatur honos:  
Gtatulor, utqve TIBI feliciter omnia cedant,  
Et patriæ fias alter Apollo, precor.

Jo. Gothofredus Berger, D.  
Academiæ h. t. Rector.



Ad Nobiliss. Med. Candid.  
DN. PAVLVM HOFMANNVM,  
PATRIS Homonymi, THEOLOGI CE-  
LEBRIMI Filium γνήσιον.

Epigramma.

**V**er puerile cadit, Iuvenum quoque dispe-  
rit aetas,  
Auctumnumq; Virum, bruma Senum  
sequitur.

Omnis enim vitae morbis patet omnibus aetas,  
Occupat ast hiemem tristis amurca Senum.  
Nobile, quod tractas, studium est, HOFMANNE,  
Senesq;

Doctam felices experientur opem.  
Mente senex, mento Juvenis satis ardua tractas,  
Quando Senum morbos das Juvenile decus.  
Felix qui potuit Juvenis molimine docto  
Aut superare Senes, aut dare jura Seni.

ἐχέδιας  
GEORGIUS FRANCVS de FRANKENAV,  
Aliqvot S. R. I. Electorr. & Principp. Con-  
sil. atqve Archiat. Com. Pal. Caes. Prof.  
Prim. Acad. Leopold. Adjunct. & Ital.  
Recuperatorum Collega.

Nulla



**N**ulla caret morbis atas; sed plura senectus  
    *Damna suo semper conficit ipsa malo.*  
*Hæc tendit properata malis inopina, simulq;*  
    *Tum dolor statem jussit inesse suam.*  
*Hæc tamen HOFFMANNUS noster, prænobile Ger-*

*men*

*Gentis Pæonia tollet & imminuet.*  
*Hoc labor eximius præsens cum laude docebit*  
    *Praxis & ornabit Patria tecta satis.*

Nobiliss. Dn. Candidato cum voto omni-  
    genæ prosperitatis dab.

**Christianus Vater, D.P.P.**

---

Doct̃oris-Theologi Celeberrimi Parentis  
    Filio-Doct̃ori Nobilissimo:

**A**ULICE! sic dici liceat, Clarissime, quò te  
    Mittia fata trahant, scripto animoq; doces.  
*Ante annos triginta Patris quoq; carmine honores*  
    *Ornavi: poscit Filius almus idem?*

*Sic Paulum Paulus, Doctorem Doct̃or honore*  
    *Consequitur, Medicus sat benè Thejologum?*  
*Magnificus Rector, Seniorq; Decanus, & Hoffmann*  
    *Stant Cathedrâ hâc unâ? gratulor ex animo.*

Olim Præses atqve Hospes

**Georg. Casp. Kirchmajerus,**  
    Acad. Senior.



**S**eniles morbos, filicernio familiares, & hinc  
 mille nasci solita incommoda, ingeniosè ad-  
 modùm ac eleganter Sapientiâ incomparabili Rex  
 Salomo expressit in Ecclesiast. sui Cap. XII. accu-  
 ratè adeò, ut subeat mirari, cur in alienum prorsus  
 sensum illa detorquere ausus sit ἀμυγδαλέωρα *Pi-  
 neda*: & non diligentius evolverint *Vinmariensium*  
 egregii Commentatores Bibliorum. Quæro ete-  
 nim (ne reliqua conſequer, ſatis obvia unicuique,  
 & à LXX. Interpp. diſcenda melius, ) quid *Amy-  
 gdalus in flore? Locusta in onere? funis argenteus  
 in retractione? hydria contrita super ſcaturigine?  
 Confracta tandem ad cisternam rota?* Sacer ita,  
 de poſtremis Codex: ותִּשָּׁבֵר כֶּר עַל הַמִּבּוֹעַ וְנָרַץ  
 : הַגִּלְגָּל הַזֶּה אֵל-הַבּוֹר Si omninò nihil eſſet cauſæ, cur  
 cum artificiali machina Humanum corpus, tam  
 faberrimè conſtructum, conferretur; vel hic lo-  
 cus unicus ſufficiat. Abundet ſuo quisque ſenſu;  
*Luminaria*, oppoſita proſpectui, (qui per *fenestras*,  
*oculos*, indigitatur, ) tenebroſa, partes principales  
 ſunt luciferæ, *Cor, Cerebrum, & animales vitalesq̃  
 ſpiritus*. Quod Sol in macrocoſmo & μεσσηνί-  
 μων, hoc cor in microcoſmi medio, in motu ſem-  
 per, atq̃ue promaconda lucis. Quod in Cœlo  
*Luna*, domina humorum, hoc in Capite omninò  
 Cerebrum, à Sole cordis illuſtratum. Quod in  
 æthe-



*æthere sunt Stella*, hoc in nervis, fibris, & fibrillis spiritus lucentes. *Molares* (potius, quàm molitores) *otiosi* Senibus edentulis respondent; *adium custodes curvi*, manibus ac incurvatis volis. *Clausum in humilitate vocis ostium*, sermonis signat officinam, aures autem cantionum filiae obsurdescentes. *Scaturigo aurea*, non radicale humidum, & calidum innatum, (i.e. nuda verba) sed nobilioris sanguinis designat purpuram. *Excelsa timida*, in ascendendo gradus altiores, senibus, proceris maximè, formidolosa. *Clausa in plateis janua*, an alvi constipationem, & à calculis, stranguria, digestionem prava, indicent urinæ aliquam suppressionem? viderint, qui *Vesti* placita sequuntur, in morborum horum exegeſi. Per *Amygdalum florentem*, venerabilis canities, nix capitis insinuatur. *Gravidas* non satis capio *locustas*; multò minùs Senum scabiem (quæ verò illa tam familiaris illis?) & pruritus. Incurvati nempe dorsifalæ, quæ sint oneri incanis senibus, indigitantur. Jam *argenteus*, quid aliud, *funiculus*, quàm æmulus argentei coloris in medulla hominis spinali admirabilis Oeconomia, per tot nervorum paria, flexus, ramos? *Columna olim valida* ad pedes pertinent. Sed quid est *situla ad puteum, ad fontem rota*? Vide, quàm describat castè corporis verenda, &



da, & conjuncta illis membra Spir. divinus. De  
contractione rotæ ad cisternam, eleganter πολυ-  
δύμητος *Vvedelius* philosophatus est, ( in  
Physiolog. Sect. 5. c. 21 & Exerc. Med. Philolog. 3.  
decad. 3. ) Cisternæ instar, renes sunt, è quibus a-  
qua, sive urina, blandè licet, stillat, veluti per in-  
fundibulum ad pelvim, atque uretheres, utpote ca-  
nales, in vesicam, &, urethrâ mediante, effluit.  
Structura renum machinam hydraulicam menti-  
tur: pars interior gibbosa si secatur, & carunculæ  
disseparentur pupillares, tubuli lymphatici, stellati  
veluti, apparent, & figuram rotæ repræsentant.  
Qvis non admiretur *Salomonis* sapientiam in Ana-  
tomicis, Botanicis, & fortè Chymicis? Quid? ob-  
tinere ausim, circulationem sanguinis peridromi,  
per *Cordis mobile perpetuum*, per *rotæ machinas*  
*motrices*, diu ante Nobiliss. *Harvæum*, ( ne de *Se-  
neca* quid addam ex Epistolis & Naturalibus in pri-  
mis ejus quæstionibus, ) disertè satis *Salomonem*  
indicasse. Cæterum Senilia *παθήματα* compen-  
diosè refert *Plinius* Hist. Natural. 7, 50. Tu, Can-  
didate Nobilissime, vel solo Venerandi DN. Pa-  
rentis Tui, Celeberrimi Theologi, & excellenter  
de Orthodoxyâ nostrâ meriti, æstimatissime Ami-  
ce, atque olim Commensalis optime, rem omnem  
melius exposuisti per Inauguralem Dissertationem  
hanc.



hanc. De qua, & solennibus honoribus, qui in-  
stant, Tibi gratulor ex animo. Idem, qui antè.

---

**M**agnas Naturæ vires arcanæque rerum  
Explorata tenes: Quod probat artis o-  
pus.

Ergo tot emenso syrtis nunc præmia restant,  
Ac tuus in Vatum munere durat bonos.

Novos Doctori novo honores  
in arte salutari summos, virtute,  
doctrina, usu partos, merito li-  
benterque gratulatus est

C.S.Schurzfleischius.

---

**P**rotinus insta, insta labor hic Tibi proderit  
olim  
Atque Senum morbi dent Tibi secla Se-  
num.

Nobilissimo DN. Candidato, Fautori & Ami-  
co æstumatissimo, feliciter adclamat

D. Georgius Fridericus Francus  
de Frankenau.

Heu!



**H**eu! qua dura Senum fors est, qua Scena Se-  
nectæ

*Panditur, in mæstos ingeniosa modos!  
Forma fluit, rubicunda prius color inficit ora  
Funereus, ruga tempora, nixq; comas.  
Stat dubius, tremulusq; mali quoq; credulus usq;  
Fitq; tripes, prorsus fit quadrupesq; Senex.  
Agmina jam subeunt morborum; affligitur æstu,  
Officiunt nebula, frigus & aura nocet.  
Somnus abest, sed tussis adest, fastidit & escam,  
Qua modò profuerat, qua modò dulcis erat.  
Lux ubi prisca? oculi caligant, deficit auris,  
Balbaq; cum pueris verba dat ipse Senex.  
Quid multa? HOFMANNI satis hæc perdocta  
docebit*

*Pagina, quos morbos ægra senectus habet.  
Gratamur meritò, felicia Nomina sintq;  
Doctoris, confert qua Witeberga Tibi.  
Morborum porrò felix sis Victor, orantem  
Ex agris famam, & splendida sestra feras.*

Ita Clarissimo Domino Candidato, Amico &  
Commensali hætenus dilectissimo, sum-  
mos in Medicina honores ambienti læ-  
tanti animo gratulantur

**Commensales Riviniani.**